quominus homo voluntate sua possit specialem obligationem addere, et tunc addita hac speciali intentione, videtur habere locum divinum jus dicens : *Illaqueatus es verbis oris tui.* Et confirmatur : nam homo volens sic se obligare in materia levi nemini facit injuriam, et de se vult magis honorare Deum, estque dominus suæ libertatis ; ergo illa voluntas erit efficax et habebit effectum. Unde in hoc cernitur magna differentia inter votum et legem ; nam superior si velit obligare ad mortale in materia levi, facit injuriam subditis, et consequenter excedit suam potestatem, et ideo probabilius est cum effectu non inducere talem obligationem. At vero vovens non facit sibi injuriam, nec excedit potestatem quam habet in seipsum ; ergo.

19. *Votum in materia levi non posse sub mortali obligare ex intentione voventis, qui asserunt.* — Nihilominus auctores utriusque opinionis allegati in primo puncto, in hoc secundo puncto concordant, tale votum non esse validum saltem quoad gradum obligationis, sed necessario restringi ex parvitate materiæ. Nam Soto aperte loquitur æqualiter de utroque membro, et in lib. 8 de Just., q. 1, art. 7, dub. 1, in particulari id docet de hac forma vovendi : *Voveo sub reatu mortali hoc facere,* quod leve est ; Vasquez etiam de utroque membro loquitur, necnon et Corduba, saltem quoad materiam levem partialem, de qua sicut fatetur votum ex se non obligare ad mortale, ita etiam nec ex intentione voventis. Idem tanquam clarum supponit Sanci., et de lege positiva omnes ita sentiunt. Fundamentum autem horum auctorum necessario est diversum. Nam priores in hoc absolute fundantur, quod quantitas obligationis non pendet ex intentione voventis, sed sola voti emissio, quod in universum nos non admittimus, et ideo nisi aliquid speciale in præsenti addatur, nihil inferri potest.

20. Alii ergo addunt tale votum esse stultum et irrationabile, et ideo non acceptari a Deo, qua ratione utitur etiam Soto ; et Sanc. addit argumentum sumptum ex lege. Quod profecto non convincit propter dissimilitudinem supra indicatam. Ratio etiam sumpta ex stultitia voti valde enervatur ex opinione eorum, qui dicunt votum simpliciter factum in materia levi obligare ad mortale ; si enim hoc sentiunt auctores prudentes et graves, signum est non esse rem adeo stultam et irrationabilem ; ergo ex hoc capite non erit votum illud adeo stultum, ut sit invalidum. Item, licet ille appareat excessus fervoris, non tamen est contra pietatem, neque includit malitiam aliquam aut repugnantiam cum perfectione ; cur ergo non acceptabitur a Deo ? Item facere votum quod difficillime impleri potest, potest esse stultum, et ex indiscreto servari, et tamen non propterea votum est omnino nullum ; et similiter multiplicare vota indiscretum sæpe est, et tamen obligant ; ergo idem esse poterit in præsenti voto.

21. *Auctoris judicium de relatis sententiis.* — Hæc ergo posterior sententia non est mihi certa, consequenter loquendo ad ea quæ in primo puncto dicta sunt, et ideo judico talia vota cavenda esse, nec esse temere violanda, si fiant. Præcipue vero considerandum est an materia illa, quæ secundum se levis videtur, respectu talis personæ aliquam habeat utilitatem spiritualem, seu in ordine ad perfectionem ; nam ex illo capite facile posset votum non esse omnino irrationabile, quamvis jam dici non posset omnino de re levi. Quapropter, rem attente et in rigore considerando, si materia, pensatis omnibus respectibus ejus, levis permaneat, probabile videtur tale votum non obligare graviter, non obstante intentione voventis. Tum quia satis verisimile est Deum non acceptare talem obligationem, quia non est durus exactor, nec placet illi stulta promissio ; illa vero ita videtur stulta, ut ad profectum animæ, et ad Dei cultum sit impertinens, et alioquin possit esse in laqueum. Tum etiam quia omnis obligatio requirit materiam capacem ; illa autem materia non est capax. In quo est magna differentia inter hunc secundum casum et primum, quia materia capax gravioris obligationis, a fortiori est capax minoris ; non vero e converso materia capax de se tantum obligationis levis, consequenter est capax obligationis gravis. Unde talis obligatio videtur excedere potestatem voventis, quia non potest se obligare Deo, plusquam Deus ipse velit, vel quam materia patiatur ; sicut non potest homo homini obligare se sub obligatione gravi in materia levissima, quia excedit materiæ capacitatem ; et quoad hoc tenere potest similitudo ad legem, etiamsi quoad omnia non teneat ; et ita responsum est ad rationes dubitandi.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE VOTI DE QUO DUBITATUR AN FACTUM SIT.

1. *Duplex dubium circa votum.* — Duplex potest circa votum oriri dubium : unum est, an factum fuerit, necne ; aliud est, an votum, quod constat certo factum esse, obliget, vel an obliget tali vel tali modo. Et quoniam non est eadem regula in utroque dubio servanda, ideo de illis sigillatim dicendum est. Circa primum igitur contrarias invenio opiniones. Prima simpliciter affirmat, tale votum, de quo dubitatur an factum sit, obligare ad sui observationem. Tenet expresse Corduba, in Sum., quæst. 147, refertque Cajetanum, Sylvestrem et Sotum, qui id non dicunt. Magis favet Angel., *Votum*, 3, num. 13, licet in propriis terminis non loquatur, ut infra dicam ; favet Sylvester, *Votum*, 2, quæst. 2, versu quarto, nam in quodam casu dubio, dicit tutius esse servare votum, cum Archid., qui refertur, in c. *Non solum*, 32, quæst. 8, sed ibi aliud agit. Tenet Azor, tom. 1, lib. 2, cap. 19, quæst. 10; latius Vasquez, 1. 2, disp. 65, cap. 3; inclinat Navarrus, consilio 26, de Voto, num. 2.

2. Probatur primo, quia in dubio facti tutior pars est eligenda ; sed dubium voti est dubium facti ; ergo. Minor facile probatur, quia est dubium an fecerim votum, necne, quod spectat ad purum factum. Nam licet votum dici soleat privata lex, jam supra diximus hoc non per proprietatem, sed per quamdam analogiam dici, cum votum non sit actus jurisdictionis vel imperii, in quo propria lex seu jus consistit, sed actus promissionis, quæ ad factum pertinet, ut constat inter homines. Major autem probatur primo inductione : nam dubitans de veritate matrimonii, et an hæc sit uxor sua, non potest petere debitum ; ibi enim intervenit dubium facti, puta contractus matrimonii et valoris ejus, ex quo oritur periculum agendi contra naturale jus prohibens fornicationem accedendo ad uxorem dubiam. Idem autem est in præsenti, nam dubitans de voto, et agens contra illud, exponit se periculo agendi contra naturale jus reddendi Domino vota, seu violandi illa. Secundum exemplum est de irregularitate ; nam in dubio facti tenetur quis se gerere ut irregularis, juxta cap. *Ad audientiam*, de Homicid., et tamen est eadem ratio.

3. Tertio facit axioma illud : *In dubiis tutior pars est eligenda,* approbatum in Jure, c. *Juvenis*, de Sponsalib., et d. cap. *Ad audientiam*, et cap. *Significasti*, 2, de Homicid. ; sed in præsenti tutius est servare dubium votum, quia in hoc nihil est periculi, in transgressione est periculum non implendi promissum ; ergo. Et confirmatur, quia alias nunquam haberet locum illud principium, quod dici non potest, nam est contra jura et contra communem conceptionem. Sequela vero patet, quia qua ratione in hoc casu non admittitur nec applicatur, eadem non habebit locum in quolibet alio. Probatur hoc, quia si aliqua hic subesset ratio, maxime quia in dubio melior est conditio hominis possidentis suam libertatem; at hæc ratio currit in matrimonio, in irregularitate, et in omnibus, etc. Unde inferunt dicti auctores illud aliud axioma : *In dubiis melior est conditio possidentis*, solum habere locum in materia justitiæ, et ideo non recte hic applicari, quia non de obligatione justitiæ, sed de periculo violandi religionem tractatur ; in dubio autem favendum est religioni, et divino cultui, L. *Sunt personæ*, ff. de Relig. et sumpti. funer. Sic enim non habet locum in irregularitate propter idem periculum contra religionem, nec in matrimonio propter periculum in materia castitatis, et sic de aliis. Et ratio reddi potest, quia possessio non dat jus spirituale, nec proprie habet locum nisi in materia justitiæ.

4. *Secunda opinio.* — Secunda opinio absolute dicit, quando dubium est an votum fuerit emissum, non teneri aliquem ad servandum illud. Tenet Soto, lib. 7 de Just., q. 3, art. 2; Med., in Sum., lib. 1, c. 14, § 7 ; Angel., q. 9, de Jejun., art. 1, difficul. 7, dub. 2, proposit. 3, et idem fere habet, licet minus constanter, in quæst. 4, art. 1, difficult. 3, dub. 3, prop. 2. Denique hanc partem secuti sunt Ludovic. Lop., Emmanuel Rodr., Henriq. et alii, quos refert et sequitur Sancius, lib. 1 de Sponsalib., disp. 9, n. 11 ; et favet Glossa, in cap. *Ex parte*, de Censib., in propositione casus in fine, ubi pro regula statuit, *in dubiis liberum esse sequi quod magis placuerit ;* quæ nimis ampla videri potest. Sed limitanda videtur juxta materiam textus, quæ est de voto reali, in quo dubium est de quantitate promissa ; nam tunc sentit Glossa, liberum esse voventi, illam determinare ; ergo idem sentit quando est dubium de toto voto emisso. Et hanc sententiam obiter in aliis locis probavi, et nunc etiam veram esse judico : oportet tamen illam convenienter exponere et fundare.

5. *Sensus quæstionis expenditur, et de quo dubio sit sermo.* — Principio ergo supponendum est, sensum quæstionis esse de dubio, quod vocant negativum, quando intellectus ita est in utramque partem suspensus, ut neutri det assensum, quia pro neutra habet rationes quæ ad judicium saltem probabile ferendum sufficiant. Nam si dubium sit positivum, id est, per judicium probabile utriusque partis, tunc omnes fere auctores consentiunt, si homo judicet probabiliter se non emisisse votum, non obligari tali voto, etiamsi forlasse habeat rationes probabiles, quæ contrarium suadeant; nam inter probabilia potest homo tuta conscientia sequi quam partem maluerit; quod est certum, quando probabilitas utrinque est æqualis, quod præsenti instituto sufficit. At vero si judicium positivum sit, votum fuisse factum, et dubium sit tantum formidinis, non sufficit ad constituendum hominem in vero dubio morali; ut si quis probabiliter credat se emisisse votum, et ad contrarium credendum non habeat probabilia motiva, sed solam formidinem, quia non habet evidentiam, sed probabiles conjecturas, tunc non est dubium quin teneatur servare votum. Quia illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium, quia in rebus humanis non est major certitudo exigenda, cum vix aliquid per infallibilem evidentiam cognoscamus. Neque oportet distinguere de judicio magis vel minus firmo, seu cum majori vel minori formidine; nam si judicium est revera probabile in favorem voti, illud sufficit ut votum integre servandum sit, etiamsi sit minimum, seu cum quacumque formidine, si judicium in contrarium non est probabile. Hic ergo agimus de dubio negativo, quod durat quamdiu pro neutra parte ferri potest probabile judicium. Nec refert quod pro altera sint plures vel pauciores conjecturæ, si neutræ sufficiant ad judicium probabile pro altera parte, quia tunc simpliciter manet intellectus suspensus, et rationes æque procedunt, ut videbimus.

6. *Duplex status, in quo dubitans esse potest de emissione voti.*—Secundo, distinguendi sunt duo status dubitantis dicto modo. Unus est, quando homo dubitat, et diligentiam non fecit ad expellendum dubium, et veritatem inveniendam. Alter est, quando postquam in dubium incidit, moralem diligentiam fecit, et non potuit dubium expellere, nec probabilitatem invenire, sed suspensus sicut in principio manet. Dubium ergo accipi debet in hoc posteriori statu: nam in priori certum existimo, non posse hominem agere contra votum, priusquam diligentiam adhibeat ad veritatem cognoscendam, hoc enim ad minimum probant motiva primæ opinionis. Nam sine dubio esset magna temeritas sic agere contra votum dubium sine alio examine, nam sic operans evidenti periculo errandi se exponeret. Intelligendum autem hoc est, supposita potestate faciendi diligentiam, et differendi voti executionem et transgressionem. Nam si votum necessario sit statim exequendum vel omittendum, ut contingit maxime in votis negativis et in affirmativis pro certo tempore propinquo, tunc satisfaciet dubitans si juxta temporis angustias et capacitatem diligentiam adhibeat, prout potuerit; nam si quod in se est faciat pro tali opportunitate, jam erit constitutus in posteriori statu dubii, de quo est controversia.

7. *Dubius de voto post moralem diligentiam factam non tenetur servare illud.* — His positis dico, eum, qui post moralem diligentiam dubius manet de voto emisso, et non potest ferre probabile judicium quod illud emiserit, non teneri ad talis voti observationem. Probatur primo ex communi fundamento, quod in dubiis melior est conditio possidentis; nam ille sic dubitans possidet suam libertatem; ergo est melioris conditionis, ut non subjiciatur obligationi voti propter solam dubitationem. Respondent principium illud: *In dubiis melior est conditio possidentis*, habere locum in materia justitiæ, non aliarum virtutum. Sed hoc gratis dicitur. Primo, quia jura, ex quibus regula illa desumitur, generatim et sine restrictione loquuntur; ut in cap. *In pari*, 65, de Regul. jur., in 6, absolute dicitur, in quacumque causa præferri jus possidentis.

8. Secundo, quia nulla ratio differentiæ assignatur, nec assignari posse videtur, quod in hunc modum declaro. Quia in materia justitiæ principium illud, vel fundatur in hoc, quod quando est dubium circa fundamentum obligationis, ut verbi gratia, an hæc res sit mea, vel aliena, est quædam æqualitas inter obligationem restituendi, et potestatem retinendi, et alioquin possessio rei confert aliquod jus, et ideo prævalet jus possidentis. Vel fundatur in hoc, quod propter solum dubium non sunt immutandæ res ab antiquo statu, in quo bona fide existebant, quia cum in dubio sit quædam æqualitas utrinque, non est cur potius in unam partem obliget quam in aliam.

Vel fundatur in hoc, quod interveniente ignorantia invincibili insurgit excusatio obligationis; intercedente autem dubio, intervenit ignorantia rei, de qua dubitatur, et facta diligentia ad expellendum dubium, et perseverante nihilominus dubio, fit illa ignorantia inculpabilis, quia non fuit in potestate hominis illam depellere, et ideo impedit obligationem. Vel fundatur in hoc, quod obligatio est onerosa, et suo modo odiosa, et ideo restringenda, ut non oriatur, nisi ubi fundamentum ejus moraliter certum est, præsertim ubi cætera non sunt paria. At hæ omnes rationes habent locum extra materiam justitiæ, et specialiter in voto, de quo tractamus; ergo. Consequentiam suppono ut claram, quia nec alia ratio ultra insinuatas in majori affertur, neque facile est aliam invenire, quæ sit propria justitiæ, ut ex dicendis clarius constabit.

9. Probatur ergo minor quoad singulas partes; nam imprimis etiam in voto dubio est quædam æqualitas inter obligationem dandi seu faciendi, et potestatem non solvendi, quia dubium æque versatur in fundamento obligationis, quod est promissio, et aliunde homo possidet suam libertatem, et rem illam, quæ est materia voti, eo modo quo possideri potest; ergo. Minor patet, nam si votum est reale, possideo rem illam quam alienare a me debeo, si votum implendum est; si autem est votum personale, possideo meas actiones, vel morale jus utendi me ipso, vel potentiis meis, cum indifferentia et libertate etiam ab obligatione. Unde falsum est quod in contrarium dicebatur, possessionis titulum esse proprium justitiæ. Nam, sicut libertas est generalis conditio omnis materiæ virtutis, ita et possessio. Et declaratur in utraque materia voti et justitiæ; quia in utraque potest esse dubium circa rem distinctam proprie possessam ab eo qui dubitat, et circa actiones personales, et omissiones, quæ non in se, sed in potestate, et libertate faciendi et non faciendi, possidentur, et illa possessio est sufficiens, quia est eo modo quo esse potest circa jura incorporalia. Sed dicunt non deesse possessionem, sed illam juvare contra proximum, qui nobiscum circa eamdem rem de justitia contendit, non vero juvare contra Deum; quia dubitans de voto non contendit cum Deo de justitia circa rem illam, sed ex religione.

10. Sed hæc est petitio principii: jam enim habemus titulum possessionis in materia voti; cur ergo non prævalet et juvat in casu dubio? Si enim dicatur majorem esse voti seu religionis obligationem, quam justitiæ, imprimis incertum hoc est; aliqui enim existimant magis rigorosam esse obligationem justitiæ. Deinde, esto obligatio religionis sit major ex parte Dei, nihilominus ex genere fidelitatis est minor, et non potest dici infidelis, qui non facit aliquid, quia non sibi constat de promissione. Denique, parum refert quod obligatio major sit, si res est dubia; quia tunc contendimus non oriri obligationem contra eum, qui certo possidet jus suum, et in hoc est quædam proportionalis æqualitas inter justitiæ obligationem et voti.

11. *In exteriori foro non cogitur servare votum, nisi qui probatur illi obligatus.* — Præterea ad hoc juvat secunda ratio, quia ante votum ejusque dubium exortum, homo erat in statu indifferentiæ et libertatis (ut sic dicam) ad faciendum vel non faciendum aliquid in Dei cultum; ergo non debet cogi propter solum dubium ad unam partem potius quam ad aliam, cum dubium utrinque sit æquale; ergo ex tali dubio non sequitur obligatio nec actio, ac subinde relinquitur res in statu in quo de se erat. Et confirmatur quia in exteriori foro, qui non probatur voto obligatus, non cogitur illud servare, etiamsi res maneat dubia; ut si alicui objiciatur impedimentum voti ut a matrimonio arceatur, si actor deficiat in probatione voti, et dubia sit res, non obligabitur, quia, *ubi partium jura sunt obscura, favendum est potius reo quam actori*, ut habet undecima regula, in 6; ergo idem est in foro conscientiæ, quia ubi non proceditur ex præsumptione, idem est jus conscientiæ, et ecclesiastici judicii.

12. Accedit tertia ratio, quia hic intervenit ignorantia invincibilis voti; ergo impediet obligationem et conservabitur homo in libertate faciendi vel non faciendi, quam antea habebat. Antecedens patet, quia qui habet dubium negativum voti, revera non scit se habere votum; ergo habet ignorantiam negationis de tali voto. Ad hanc enim ignorantiam non est necessarium scire votum non esse; satis est non scire votum esse, quia ignorantia hæc in sola negatione scientiæ consistit, alias nemo ignoraret votum, nisi qui errans existimat se non habere votum, cum revera habeat, quod aperte falsum est. Est ergo illa vera ignorantia. Deinde illa ignorantia fit invincibilis, quando post diligentiam sufficientem non expellitur, quia est argumentum, non esse in potestate hominis illam vincere. Nam si verum

est quod habet regula juris, in 6: *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur,* multo magis excusabitur ignorantia ubi probatur nescientia; ergo talis ignorantia sufficit ad impediendam obligationem; ergo, stante dubio quod talem ignorantiam includit, non potest votum obligare.

13. *Obligatio voti quomodo restringenda.*— Ultima etiam ratio in hac materia locum habet, quia obligatio voti valde onerosa est; ergo restringenda est, et non amplianda; ergo non est extendenda ad votum dubium. Unde hic etiam habet locum regula communiter recepta, neminem esse cogendum ad solutionem certam pro debito incerto; quia sine causa etiam hoc limitabitur ad debitum justitiæ, cum eamdem vel majorem habeat rationem in debito fidelitatis, etiamsi sit ad Deum. Sic ergo non solum manet firmum fundamentum illud, quod in dubio melior est conditio possidentis etiam in materia voti, sed etiam obiter est confirmata assertio variis rationibus; ut quod nemo obligatur solvere, nisi probetur esse debitor; non probatur autem debitor, nisi probetur fundamentum debiti, quod est promissio in præsenti materia. Debet autem probari in eo foro, in quo solvere cogitur, scilicet, in foro conscientiæ, ut in illo obligetur, sicut in foro externo, ut in eo compellatur. Aliæ rationes ex dictis constant; amplius vero confirmabitur assertio, respondendo ad fundamenta contraria.

14. *Explicatur fundamentum prioris sententiæ.—Non semper licet operari cum dubio speculativo.* — Totum ergo fundamentum prioris sententiæ nititur in illo principio: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Et priusquam respondeam, interrogo an illud habeat locum in materia justitiæ, nam si habeat locum, sicut, illo non obstante, sine peccato non restituitur quod dubitatur an sit debitum, ita illo non obstante, poterit dubium votum sine peccato non impleri. Si vero illud principium non admittitur in materia justitiæ, eadem ratione dicetur, non esse necessarium in materia voti in rigore præcepti, sed tantum consilii, ut multi ex auctoribus allegatis docuerunt, dicentes satis esse sequi partem tutam. Dico ergo axioma illud, quatenus præceptum continet, etiam habere locum in materia justitiæ, quia fundatur in illo principio ex Eccl. 3: *Qui amat periculum, peribit in illo;* ratione cujus tenetur quis non operari etiam in materia justitiæ cum periculo peccandi, et consequenter nec cum conscientia practice dubia de bonitate vel malitia actionis. At hoc modo etiam in materia voti nemo potest operari contra votum cum dubio practico, an bene vel male faciat agendo contra votum; hinc vero non efficitur, ut dubius de voto male agat non servando illud; quia illud dubium speculativum est, et cum illo stat dictamen certum practice, non esse peccatum non servare tale votum, sicut cum dubio, an hæc res sit aliena, stat practica certitudo, nullum esse peccatum, illam non restituere. Nam licet possit contingere illam rem esse alienam, et detineri invito vero domino, tamen illud est tantum materialiter; nam formaliter detinetur, ut non debita hic et nunc, et cum his conditionibus, ac interveniente bona fide. Et eadem ratione, licet possit contingere ut non servans votum dubium, non reddat Deo, quod illi promissum fuerat, hoc tantum est materialiter; nam formaliter bona fide et justa ratione apprehenditur ut non promissum sufficienter ad pariendam obligationem. Et ita nullum est periculum, et pars illa est omnino tuta, quod attinet ad excludendum periculum culpæ. Neque in hoc est proprie magis vel minus, quia certitudo practica excludit omnino periculum, et ita locum habet regula juris 31, in 6: *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* Est enim illa quasi privatio totalis, quæ non recipit magis et minus in se ac formaliter, licet respectu materialis periculi possit esse aliquid tutius. In quo sensu non semper spectat ad præceptum eligere partem tutiorem, sive in materia justitiæ, sive in voto, et in aliis. Nec tamen semper licet operari cum dubio quasi speculativo de materiali nocumento, vel transgressione, sed tunc solum quando, pensatis omnibus, secundum rectam rationem, non obstante illo dubio speculativo, potest prudenter retineri judicium practicum, ut in præsenti retinetur ex illo principio, quod in dubiis melior est conditio possidentis.

15. *Explicatur lex de implendis votis. — Restringitur ad vota certa moraliter.* — Quod potest etiam explicari hoc modo: qui non servat votum dubium, certus est non agere contra illam legem: *Reddes Domino vota tua.* Nam illa lex merito intelligitur de votis moraliter et humano modo certis, seu probabilibus, non de incertis, quæ probari non possunt, etiam a propria conscientia. Sicut de peccatis reservatis dicimus, non obstante reservatione alicujus peccati absolute facta, posse absolvi illum, qui dubitat an tale peccatum commiserit, quia reservatio, quæ onerosa est, restringitur ad casum certum; et qui tunc absolvit,

licet dubitet an peccatum tale fuerit commissum, certus est non esse reservatum, et ita tutam et tutissimam partem sequitur. Ita ergo in præsenti lex imperans implere vota, merito restringitur ad vota certa moraliter, et ideo licet quis dubitet de voto, certus esse potest non obligari illa lege, quia nondum materia ejus constituta est. Talis autem interpretatio legis (præter omnia dicta) fundari potest in c. *Ex parte,* de Censib., ubi benignior fit interpretatio; tum quia non est Deus tam rigorosus exactor, ut etiam debita incerta et non probata exigat; tum ex omnibus quibus supra probavimus, in votis benigniorem interpretationem esse faciendam, ubi etiam ostendimus, hoc tandem cedere in majorem favorem religionis, propter vitandum periculum, quod in his vinculis multiplicandis invenitur. Et quia vix esset qui de vovendo auderet cogitare aut deliberare, si tam rigorose exigeretur dubia obligatio.

16. *Quid tenendum in dubio matrimonii.* — Ad exemplum autem de matrimonio posset nonnulla differentia assignari, quia matrimonium facit licitum quod antea erat illicitum, scilicet accessum ad talem personam; et ideo ubi de veritate matrimonii non constat, sed res dubia est, videtur res permanere in statu in quo ex se antea erat, et ideo non esse licitum accessum ad talem personam. At votum e contrario facit illicitum, quod antea ac per se licitum erat, utique omissionem, vel actionem voto contrariam; et ideo ubi de veritate voti non constat, manet res in statu priori, et per se illi conveniente, et ideo est licita talis actio, vel omissio, non obstante dubio. Sed quidquid sit de hoc discrimine, verius et constantius respondetur, si dubium antecessit matrimonium, tunc, non excluso dubio, nunquam licere usum talis matrimonii, et tunc recte procedere rationem factam, et maxime quia ille nunquam est possessor bonæ fidei, a qua regula solet excipi casus impotentiæ impedientis matrimonium, quia ipse usus est medium necessarium ad expellendum dubium, de quo alias. At vero si dubium ortum est post matrimonium contractum, et facta diligentia non potest expelli, licitum est uti tam reddendo quam petendo, ut verior habet sententia; et ita hoc exemplo potius confirmatur nostra sententia, de quo puncto videri potest Sanc., lib. 2 de Matrim, c. 41, quæst. 4. Ad secundum exemplum de irregularitate alibi late responsum est, illud esse speciale in irregularitate homicidii, et in casibus a jure expressis, quia sicut jus canonicum potuit statuere irregularitatem pro homicidio, ita potuit statuere ut homicidium dubium sufficeret ad talem irregularitatem contrahendam, vel ad obligationem servandi illam. Nec refert quod jura id statuentia fundentur in illo principio, in dubiis tutius esse eligendum; quia fundantur in illo ut in ratione movente Pontificem ad talem legem ferendam, non ut titulo per se sufficiente ad obligandum hominem in eo casu, seclusa tali lege. De qua re late in 5 tomo, tertia parte, disp. 40, sect. 6.

17. *In dubiis eligendum est tutius, quando cætera sunt paria.* — Unde etiam patet responsio ad jura approbantia principium illud: *In dubiis tutius esse eligendum.* Nam cap. *Ad audientiam,* et cap. *Significasti,* loquuntur de irregularite homicidii, de quo jam dictum est. In cap. autem *Juvenis,* videtur esse sermo de dubio practico, ut ex casu textus constat. Dico etiam ibi nullum fuisse possessorem bonæ fidei; nam dubium de priori impedimento publicæ honestatis præcessit secundum matrimonium, et ideo merito judicatum est pro parte certiori, et pertinente ad Ecclesiæ honestatem, ut ibi dicitur. Ex quo potest colligi modus alius interpretandi illud principium, scilicet in dubiis eligendum esse tutius, quando cætera paria sunt, id est, quando ex neutra parte intercedit jus possessionis, vel alia æquivalens ratio, quæ parti minus tutæ materialiter (ut sic me explicem) magis faveat; ita enim contingebat in casu d. cap. *Juvenis.*

18. *Quo pacto in dubiis tutior pars eligenda sit.* — Et ita patet responsio ad ultimam confirmationem, in qua inferebatur ut absurdum, quia nunquam haberet locum principium illud: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Respondetur autem imprimis, intellectum illud principium de dubio practico semper esse servandum, ut declaratum est. Sic autem intellectum illud principium, improprie in illo ponitur comparativum *tutius,* quia non a tuto, sed a periculoso practice discernitur. Si vero intelligatur de dubio speculativo, et tutius dicatur id, in quo nullum periculum transgressionis etiam materialis intervenit, sic dicimus regulam illam non esse semper necessariam, nec sub præcepto; negamus tamen inde sequi, nunquam habere locum cum obligatione præcepti. Nam servanda est, quando cætera sunt paria, ut dixi, seu quando ex neutra parte intercedit possessio, aut peculiare jus, vel ratio quæ practice conferat securitatem ac cer-

titudinem, et hanc dicimus in præsenti intervenire, ut ostensum est, non tamen semper inveniri, ut quando dubium antecessit possessionem, et in casibus similibus.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONE VOTI QUOAD VALOREM EJUS.

1. *Proponitur status quæstionis. — Prima conditio, faciens votum irritabile, est ætas.* — Superest ut dicamus de alia parte proposita, quando constat de voto facto, dubitatur autem de valore, vel duratione ejus, an servandum sit. Hæc autem dubitatio ex multis capitibus oriri potest, juxta varia impedimenta, quæ possunt auferre valorem voti. Unum est pendens ex lege positiva, et hoc non habet locum nisi in voto solemni religiosæ professionis, et ideo illud nunc omittimus in proprium tractatum. Nam circa vota simplicia seu per se sumpta non sunt per legem ecclesiasticam introducta impedimenta omnino irritantia valorem voti, præter ea quæ jus naturale dictat; sunt autem aliquæ conditiones, cum quibus factum votum est irritabile, et pendent ex jure humano, ut quod votum sit factum ante decimum quartum ætatis annum. Et in his probabiliter censeo, in casu dubio, judicandum esse votum infirmum, seu irritabile. Ratio est, quia favores sunt ampliandi; pertinet autem ad favorem, ut talia vota irritabilia sint. Qui favor non solum personarum, sed ipsius etiam religionis et divini cultus censendus est, quia talia vota facile franguntur, et ideo consultius est ut irritari valeant. Et hoc confirmat exemplum supra adductum de casibus reservatis, qui absolute dicti includunt tantum casus moraliter certos; ita enim vota non irritabilia illa tantum censentur, quæ constat habuisse tales vel tales conditiones; nam, sicut reservatio, ita exemptio a potestate irritantis videtur odiosa et restringenda. Denique ibi etiam potest applicari principium, quod melior sit conditio possidentis, quia dum non probatur, verbi gratia, impuberem pervenisse ad pubertatem, semper est quasi in possessione parentis, et ex dicendis hoc magis constabit, viderique potest Sancius, dicta disput. 41, lib. 2, num. 39.

2. *Secunda conditio, vel impedimentum, est defectus voluntatis.* — Aliud impedimentum valoris voti ex natura rei esse potest ex parte voluntatis voventis, ut quando constat aliquem verba vovendi emisisse, dubium autem est an habuerit intentionem vovendi, aut se obligandi, vel, licet de intentione constet, dubium est an fuerit cum sufficienti usu rationis, vel propter defectum ætatis, vel propter vehementem iram, vel timorem, aut aliam similem passionem. Et pro his casibus non potest una generalis regula constitui, præter hanc, utendum esse prudentibus conjecturis ad judicium ferendum de valore voti. Primo igitur quando ambiguitas voti tota est de intentione et consensu voventis, considerandum imprimis videtur, an dubium sit de sensu in quo verba voti dicta fuere, an, scilicet, dicta fuerint ad significandam promissionem vel solum propositum. Et tunc dicimus, quando, facto examine suæ intentionis, vovens non potuerit certus de illa reddi, nec probabile judicium proferre, tunc spectandam esse proprietatem et vim verborum; nam si in rigore et proprietate non significant promissionem, manifestum est non obligare; item si sunt ambigua, et in rigore possunt utrumque sensum proprie reddere, benignior interpretatio facienda est, ut non inducant obligationem: hoc enim probant omnia adducta in præcedenti capite.

3. *Quomodo per vim verborum judicandum sit certum votum.* — At vero si verba in rigore significant promissionem solam, et non constat de intentione extrahendi illa a propria significatione, licet non constet positive de intentione se obligandi, aut vere promittendi, tale votum obligat, et non votum dubium, sed moraliter certum judicandum est. Ratio est, quia ibi est maxima præsumptio, quæ humano modo esse potest, de veritate voti, et sufficiens motivum ad probabiliter judicandum, tale votum factum esse cum intentione vovendi: quia verba de se sunt sufficientia signa animi, ubi contrarium non constat; ut enim ait jurisconsulus in leg. *Labeo*, ff. de Supellectil. leg.: *Nemo dicere præsumitur quod non sentit.* Item, quia, *facta non sunt in deteriorem partem interpretanda*, cap. 2, Ext. de Regul. jur. At vero in dicto casu talis intentio ita erat necessaria verbis, ut sine illa non possent verba sine peccato proferri; ergo non possunt ita intelligi, nec illo titulo potest quispiam excusari ab obligatione; nemo enim excusari potest ab obligatione, præsumendo in facto suo præterito culpam, ut supra etiam de juramento dixi. Item quia alias innumera vota jam facta redderentur incerta, et eluderetur eorum obligatio, si sufficeret sola non recordatio positiva (ut sic dicam) intentionis se obligandi.

4. *Declaratur amplius hæc certitudo et obligatio.* — Quapropter multo majori ratione, quoties aliquis non dubitat quin verba voti dixerit in sensu promissorio, seu ad promittendum exterius, licet dubitet an ficte vel ex animo illa dixerit, obligandus est ad servandum votum, nisi tot tamque probabiles conjecturæ sint in contrarium, ut determinent intellectum ad judicandum ficte vovisse. Ratio est eadem, quia eo ipso quod tales conjecturæ non adsunt, est moralis ac vehemens præsumptio pro voto. Et quia etiam tunc non est culpa præsumenda, fictio autem illa non fuisset sine culpa. Denique in his casibus possessio magis favet voto et Deo, quam voventi, nam tunc jam satis constat ligatum fuisse voventem verbis oris sui, quantum est ex parte illorum, et non constat de contrario impedimento voluntario; ergo jus et præsumptio est pro voto. Atque hoc a fortiori sentiunt auctores primæ sententiæ allegati capite præcedenti, et alii, quos in simili de juramento citavimus, lib. 2, c. 26; et ita est intelligendus Anton., in 2 part., tit. 11, c. 2, Notab. 6, cum dicit, hoc esse tutius, nimirum ita ut aliud tutum non sit.

5. *An votum obliget quando de sufficienti usu rationis radicali dubitatur.* — Secundo, quando de verbis et intentione constat, dubitatur autem de usu rationis, distinguendum videtur, an dubium sit de defectu radicali (ut ita dicam) seu naturali facultate ad utendum ratione, qualis in pueris invenitur, vel de accidentali impedimento, quod solet ad tempus tollere aptitudinem ad utendum ratione, ut est ebrietas, somnus, phrenesis ex febri, vel alia simili causa; vel solum est subita commotio, et præcipitatio in vovendo, ratione cujus solum dubitatur de actuali usu rationis sufficiente. In primo casu, Soto, dicto lib. 7, q. 3, art. 2, non solum dicit votum in eo casu non obligare, sed notabilem regulam statuit, *quoties votum est factum ante legitimum tempus pubertatis, non obligare in conscientia, nisi vovens sit ita certus, quod tunc habuerit usum rationis, ut nulla aut tenuissima apud viros prudentes reliqua fiat dubitatio contrariæ opinionis.* Et hanc sententiam sequuntur aliqui Moderni, ut refert Sanc., lib. 1, disp. 9, n. 12. Ipse vero, in n. 14, distinguit de tempore ante septennium, vel post; nam in priori tempore probandam censet Soti opinionem, non autem in posteriori.

6. Et certe rationes Soti nullo modo procedunt de tota ætate ante pubertatem, nec de toto secundo septennio. Prima enim ratio ejus est, quia jus non præsumit in impubere usum rationis; ergo non est in contrarium adigendus, nisi luculenter id ratio convicerit. Hujus autem rationis antecedens verum est de primo septennio ætatis, non de toto tempore impubertatis; nam jus censet sponsalia, post septennium ætatis facta, esse valida: ergo præsumit usum rationis in illa ætate, quia sine usu rationis nullus contractus potest esse validus. Et ita sumitur ex d. c. *Juvenis*, et c. *Litteras*, et c. *Accessit*, de Despons. impub., quibus locis interpretes id notant. Altera ratio Soti est, quia nemo ante legitimum illud tempus tenetur ecclesiasticis legibus sacramentorum et jejuniorum; ergo nec votis, nisi clare constet esse doli capacem. Sed illud, quod de præceptis jejuniorum assumitur, impertinens est ad rem præsentem; quia in eis non tantum consideratur usus rationis, sed etiam vires corporis, unde nec post pubertatem obligant usque ad certum annorum numerum. Quod vero assumitur de præceptis sacramentorum plane falsum est; nam ante decimum quartum annum tenentur pueri, per se loquendo, audire Missam et confiteri, quia ordinarie sunt capaces peccati mortalis, et communicare juxta arbitrium confessoris. Quare duæ istæ rationes optime possunt in contrarium retorqueri pro votis emissis a septennio ætatis usque ad annos pubertatis; videntur autem recte procedere pro altera parte de votis emissis ante septennium.

7. *Nullum esse jus quod irritet votum factum ante septennium.* — Addo vero etiam de his votis non esse ferendum judicium ex sola præsumptione ætatis, quia præsumptio juris non extenditur ad conscientiæ forum, quando in illo aliud constat de veritate, si jus non irritavit actum. In præsenti autem nullum jus est, quod irritet votum factum ante septennium (de simplici enim agimus); ergo si constet ante septennium non defuisse sufficientem usum rationis, qui ad peccandum mortaliter sufficeret, votum erit validum et obligans. Nec videtur necessarium, ut id constet tanta certitudine, ut nulla formido vel conjectura in contrarium relinquatur, quia in rebus humanis non postulatur tam exacta certitudo, neque in hoc casu assignatur specialis ratio, ob quam requiratur; ergo sufficient tanta signa usus rationis, ut moraliter cogant, non obstante præjudicio ætatis. Illa enim possunt reddere judicium ita probabile, ut contrarium non possit probabile censeri propter solam conjecturam ætatis: quoties-